



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

399. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex regula sancti
Benedicti.*

CCCXC V. Si quis fratri excommunica- Regula S. Be-
ned. c. 26.
to quolibet modo se junxerit, aut mandatum
ei direxerit, similem sortiatur excommunica-
tionis vindictam.

Item.

CCCXC VI. Is autem frater qui gravio- Regula S. Be-
ned. c. 25.
ris culpæ noxa tenetur, suspendatur à mensa
simul & ab oratorio. Nullus ei jungatur in
confortio, neque in conloquio.

De eadem re. *Ex Concilio Antiocheno.*

CCCXC VII. Cum excommunicatis Concil. An-
tioch. c. 2.
Burchard. lib.
II. c. 54.
non licere communicare; nec cum his qui per
domos conveniunt, devitantes orationes Ec-
clesiæ, simul orandum est. Si quilibet autem
ex clero deprehensus fuerit cum excommuni-
catis communicare, etiam ille privetur com-
munione.

De eadem re. *Ex Concilio Apostolorum.*

CCCXC VIII. Si quis cum excommu- Can. Apost.
c. 11.
Burchard. lib.
II. c. 35.
nicato saltim in domo oraverit, iste commu-
nionem privetur.

De eadem re. *Ex Concilio Niceno.*

CCCXC IX. De his qui communionem Concil. Nic.
c. 5.
Burchard. lib.
II. c. 36.
privantur, seu ex clero, sive ex laico ordine,
ab Episcopis, sententia regularis obtineat, ut
hi qui abiciuntur, ab aliis non recipiantur. Re-
quiratur autem, ne pusillanimitate, aut con-

356 REGINONIS LIB. II.
tentione, vel alio vitio Episcopi videatur à
communione seclusus.

De eadem re. *Ex Concilio Antiocheno.*

Concil. An-
tioch. c. 6.
Burchard. lib.
11. c. 37.

CCCC. Si quis à proprio Episcopo com-
munionem privatus est, non antè suscipiatur ab
aliis Episcopis quàm suo reconcilietur Epif-
copo.

De eadem re. *Ex Concilio Apostolorum.*

Can. Apost.
c. 12.

CCCCI. Si quis cum damnato Clerico,
veluti cum Clerico, simul oraverit, iste dam-
netur.

De damnatis à synodo. *Ex Concilio
Antiocheno.*

Concil. An-
tioch. c. 4.
Burchard. lib.
1. c. 199.

CCCCII. Si quis Episcopus damnatus à
synodo, vel Presbyter aut Diaconus à suo
Episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio
contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia
synodo, restitutionis spem aut locum habere
satisfactionis.

De excommunicato qui communicare præ-
sumpsit. *Ex Concilio Carthaginiensi.*

Lib. 5. Capi-
tular. c. 28. &
Addit. 1 v. c.
35.
Burchard. lib.
1. c. 200.

CCCCIII. Item placuit universo Con-
cilio ut qui excommunicatus fuerit pro suo ne-
glectu, sive Episcopus, sive quilibet Clericus,
& tempore excommunicationis suæ ante au-
dientiam communionem præsumpsit, ipse in
se damnationis iudicetur protulisse senten-
tiam.